Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

De Approximatione Dei Ad Creatvras Omnipraesentiam Eivs Non Tollente : Dissertatio Philosophica

Helmstadii: Typis Pavli Dieterici Schnorrii, [1748]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0001
DFG

390 A. B.
48. b. 8.

Fa-1092 (5.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0002
DFG

DE

APPROXIMATIONE DEI

AD CREATVRAS OMNIPRAESENTIAM EIVS NON TOLLENTE

DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

QVAM

IVSSV INCLITAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE

IN ALMA IVLIA CAROLINA

PRO

LOCO IN EADEM RITE OBTINENDO

AD D. XXVII. IVLII ANNI A. S. N. cIↃ IↃ CC XLVIII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

PRAESES

M. IO. CHRISTOPH. DOMMERICH

FACVLT. PHILOS. ADIVNCTVS, SOCIETATVM LAT. IENENSIS ET REGIAE TEVTONICAE GOETTINGENSIS MEMBRVM

RESPONDENTE

AVGVSTO WILHELMO HASSEL

GVELPHERBYTANO

I. V. STVD.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

24. 23.5. 22.6. 21.7. 20. 29. 19. 30. 3 32. 2

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0009

DFG

DE APPROXIMATIONE DEI AD CREATVRAS OMNIPRAESENTIAM EIVS NON TOLLENTE

DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

PROOEMIVM.

Nihil sane homini, cui eadem, quae mea mens est, antiquius esse debet, aut sanctius, quam vt iis, quibus obstrictus est, officiorum generibus a se fiat satis. Sancta enim ducenda arbitror, quae Principum clementissima iussa, quae ordinis incliti instituta optima sibi postulant. Haec necessaria illa, quae Principibus debetur, submississima iubet deuotio.

Haec obseruantia vult & pietas, qua illum esse oportet, qui societati cuidam subest. Nisi ergo in Maiestatem quis rebellis, aut erga superiores refractarius videri velit, ea debet explere officia, quae ipsi ciui incumbunt & socio. Quae cum ita sint, L. B. officii mei ratio non suasit, sed iussit, vt hanc qualemcumque tractationem vestris subiicerem oculis. Haec enim Sereniſſimorum olim huius almae Iuliae Nutritorum seria fuit voluntas, vt, qui Adiuncti incliti Philosophorum Ordinis spartam in se susciperet, publica Dissertatione viam sibi ad labores in hoc officio exantlandos muniret. *Sereniſſimi* quoque *ac clementiſſimi Principis*, cuius sub vmbone ac alis alma haec *Iulia Carolina* in dies diesque maiora nunc capit incrementa, *Ducis* CAROLI *Patriae Patris indulgentiſſimi*, sapientisima id iubet gratia. Inclitus quoque in hac Musarum sede illustri hoc vult Philosophorum ordo, cuius instituta religiose a meae sortis homuncione seruanda arbitror. Cum igitur Deo, hominum fata optime dirigente, *Sereniſſimi Principis mei* gratia singulari, deuotisimaque mente colenda, factum sit, vt pro virium mearum tenuisimarum insigni imbecillitate huic officio facere satis eniti debeam, nullam fas fuit interponere moram, publica Dissertatione in lucem Vestram prodeundi. Hae sunt scriptionis rationes, quas dicunt impulsiuas. Forsan de argumento quaeris, quod mihi sumsi discutiendum? Sequentia habeto. Thema putaui eligendum, quod nimium tritum aut vulgare non esset, atque vnde vera posset promanare ad Lectores vtilitas. Ita demum futurum arbitratus sum, vt lectores, men-

mentis meae cogitata attente perlegisse, non poeniteret. Cumque variis huc vsque scriptis theologicis foras edendis operam nauauerim meam, nolui de re differere omni in Theologia vsu plane destituta. Incidit ergo in mentem, *de Approximatione Dei ad creaturas omnipraesentiam eius non tollente* pauca pro instituti ratione Vobiscum communicare. Licet enim me minime fugiat, antecedentibus iam saeculis hanc agitatam esse controuersiam, publiceque ventilatam: ita tamen non exhaustam, aut omnino diremtam arbitror litem, vt noua non opus habeat disquisitione. Cardo rei sane in eo vertitur, vt rerum & conceptuum, circa hoc argumentum occurrentium, fixae ponantur definitiones, determinatae notiones, atque inde legitimae deducantur conclusiones. Num praegresso hoc iam factum sit aeuo, iudicium penes Lectores esto. De meo vero scripto me ipsum ferre sententiam, si non absonum, tamen a gloriae studio vix videretur remotum. Sterile minime hoc putaui argumentum, cum & Theologiae naturali & reuelatae insignem praestet vtilitatem. Dixi de illo disputationem philosophicam, idque iure. Cum enim Theologia naturalis ad Philosophiam referatur: omne id philosophicum dici poterit, quod intra huius limites est positum. Iam vero, de omnipraesentia doctrinam, Theologiae naturalis esse vtilissimum caput contendimus, Deique ad creaturas approximationem eius omnipraesentiam non tollere ex solis rationis principiis posse demonstrari: hinc ob titulum, quo hanc dissertationem indicauimus, neminem in iudicium nos vocaturum, speramus.

Quod ad theſeos huius vtilitatem attinet, illam certe maximam remur. Dicamus iam primum de Theologia naturali. Quem ex gente litteraria oriundum fugit, omnem de Dei omnipraeſentia tractationem palmarium huius ſcientiae eſſe caput: quod niſi diſtincte & ſolide proponatur, totus Theologiae naturalis amplisſimus campus manet incultus, vixque in hac diſciplina lucem alicui accendere quis poterit vmquam. Niſi enim rite haec omnia de Dei omnipraeſentia determinentur, neque de Deo ſufficiens poterit addiſci cognitio, neque opera eius omnino poterunt pertractari. Tacebo iam inſigne emolumentum, quod haec doctrina in Theologiae naturalis capite de cultu Dei praeſtat. Inde enim, Deum colendi motiua poſſe deſumi ſat multa, credo fore neminem qui dubitet. Quae ad Dei ad creaturas approximationem ſpectant, nec ſuo in Theologia naturali vſu carere arbitror. Licet enim ibi plerumque pauca vel adeo nihil hac de re agi ſoleat: ex ſequentibus tamen conſtabit, id nullo fieri iure. Fatemur quidem, Dei ad homines conuertendos approximationem vltra Theologiae naturalis terminos eſſe poſitam, ſed de approximatione eiusdem ad creaturas, in genere ſpectatas, commode in illa poterit haberi ſermo: id quod ex ſequentibus, vt ſpero, ſatis luculenter conſtabit. Theologiae naturalis omnem denique arbitror vtilisſimam eſſe tractationem, quae Reuelatae inſeruit: id quod de hoc argumento maxime poterit contendi. Fieri enim non poteſt, vt ſcripturae S. loca, in quibus de hac Dei approximatione agitur, quis intelligat, niſi philoſophica hac

antea

antea imbutus fuerit cognitione. De gratia & praeueniente, & praeparante, & operante & cooperante insignis momenti doctrinam inuita sane addiscet Minerua, qui, quae iam disputamus, haud bene fuerit ruminatus, aut satis concocta habuerit, & disgesta. Hac fretus sententia, non fruſtraneam operam meam futuram ratus sum, vlteriori hanc, quam dixi, materiam exponens disquisitioni. Sed vt & bonae Methodi quaedam habeatur ratio, omnem hanc meditationem in duas dispescendam duxi sectiones, quas natura rei ipsa suppeditat, quarumque hic vide summam. Prima agit de Dei omnipraesentia, eiusque tam definitionem quam demonstrationem cum reliquis suppeditat: Altera vero approximationem Dei ad creaturas eius omnipraesentiam non tollere probat, vbi tam de Dei ad creaturas approximatione, quam de ipsa hac demonstratione agitur. Quod si non omnia ea diligentia, ea soliditate, eo ordine fuerint proposita, quibus fas esset, L. B. negotiorum, quibus obrutus sum, variis ad vitam Academicam bene instituendam facientibus impedimentis pro sua aequitate ignoscent.

SECTIO I.
DE
OMNIPRAESENTIA DEI.

§. I.

Cum de Dei omnipraesentia hac prima dissertationis nostrae sectione simus acturi, bonae methodi ratio postulat, vt ante omnia eius legitimam suppeditemus definitionem, ex qua varia deinde deduci

ci poterunt ad rem noſtram facientia conſectaria. Agedum, inquiramus, quid ſit *praeſens*, *praeſentia*, & *omnipraeſentia*.

§. II.

Subſtantia alteri ſubſtantiae praeſens ex plurimorum conſenſu dicitur, ſi in altera quid continetur, cuius ratio immediata datur in priori. *Praeſentia* ergo eſt *ea ſubſtantiarum ſibi coexiſtentium relatio, ſecundum quam in vna aliquid continetur, cuius ratio immediata datur in altera.*

Corollaria.

I. Praeſentia ergo non datur niſi inter res exiſtentes §. II. Hinc mere poſſibilia ſibi non ſuntpraeſentia.

II. Ad praeſentiam requiritur coexiſtentia rerum §. II. hinc praeſentia debent eſſe ſimultanea.

Schol.

E. g. homo homini dicitur praeſens, ſi in hoc aliquid offenditur, cuius ratio immediata in illo continetur.

§. III.

Praeſentia ſemper requirit rationem proximam adfectionis in aliqua ſubſtantia obuiae. Poteſt enim aliquis rationem alicuius in altero obuiae determinationis continere: licet ipſi neutiquam ſit praeſens. Hinc ad praeſentiam non ſufficit, vt in ſubſtantia ratio adſit cuiusdam adfectionis in altera obuiae, ſed haec ratio debet eſſe *immediata:* i. e. ita conſtituta, vt rationata huius rationis alia non ſint rationes huius rationati. Hinc praeſentia ſemper requirit rationem proximam, ſine qua cogitari ne quidem poteſt.

Schol.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0016
DFG

Scholion.

Si quis e. g. litteris alicui mentem ſuam declarat, non poteſt ipſi praeſens dici. Licet enim ſit ratio, vnde cogitationes alterius poſſunt cognoſci, non tamen eſt ratio immediata, ſed mediata: nam litterae, rationata eius, ſunt rationes harum, quas alit, repraeſentationum. Hinc abſens non eſt praeſens.

§. IV.

Praeſentia tantum ad ſubſtantias poteſt adplicari. Cum enim praeſentia ea rerum coexiſtentium ad ſe inuicem ſit relatio, ſecundum quam in vna aliquid continetur, cuius ratio immediata offenditur in altera §. II. eſt ratio exiſtentiae huius vel illius mutationis (per defin. mut.) iam ratio exiſtentiae mutationis dicitur actio: praeſentia ergo ſemper inuoluit actionem: poſita vero actione ponitur vis (per Ontol.) hinc poſita praeſentia ponitur vis. Vbi vero vis locum habet, ibi adeſt ſubſtantia: hinc poſita praeſentia ponuntur ſubſtantiae, quae ſibi praeſentes ſunt. Praeſentia ergo tantum ad ſubſtantias poteſt adplicari.

Scholion.

Quod ſi ergo de adfectionibus praeſentia praedicatur, improprie ſane haec vox intelligenda. Non enim omni plane vſu deſtitutum eſt, vt his quoque vis tribuatur. Minus vero commode.

§. V.

Audiamus iam alias aliorum definitiones, quibus praeſentiam illuſtrarunt. Nonnulli barbara voce

illam *adeſſentiam in loco* ſ. *ſpatio* vocarunt, ſiue modum, ſecundum quem res dicitur in ſpatio. (a) Sed quid iſtud ſibi vult ſpatium? Dixerunt quidem, eſſe receptaculum, immenſa ratione extenſum, in quo res omnes collocentur: ſed diu iam iſte ſpatii conceptus a *Leibnitio* explosus eſt. (b) Si enim in duas perfecte aequales partes tale receptaculum mente diuido, altera pars alteri perfecte ſimilis erit, nec vllo momento diſcernenda: erunt ergo ambae res vna, itera-to conceptu repraeſentata. Quod contra principium indiſcernibilium, aeque ac contradictionis. Hinc *Leibnitius* aliam ſpatii ſuppeditauit notionem, quod dixit *ordinem rerum, quatenus exiſtunt ſimul.* Vbi ergo nihil exiſtit, ibi nullus ordo, nullum quoque ſpatium. (c) Hinc ſi veteres praeſentiam definiunt per modum, ſecundum quem res eſt in ſpatio, non quidem debent receptaculum extenſum, ab omni re abſtractum, concipere, ſed mens illorum ita explicanda eſt: Praeſentia eſt modus, ſecundum quem res eſt in ordine rerum ſimul exiſtentium. Et quia res propterea exiſtunt, vt poſſint agere, aut pati: praeſentia eſt peculiaris modus, ſecundum quem res poteſt agere aut pati. Hac igitur ratione veterum definitio cum noſtra coincidit. §. II.

§. VI.

Quod ſi quidam praeſentiam dicunt *adeſſentiam rei in loco:* neſcio ſane quo iure id definitionis no-

(a) *Suarez* Diſput. 51. Sect. I. n. 14.
(b) in Epiſt. V. ad Clarck. T. I. Recueil. p. 119. §. 62.
(c) Recueil. T. II. p. 139.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0018
DFG

nomen mereri possit. Adessentia enim nihil aliud est, quam praesentia, & adesse & praesentem esse, idem significant. Alii illam ἀδιαστασίας vocabulo insigniuerunt, sed obscurum per aeque obscurum definiunt. Quid enim ἀδιαστασίας vox sibi vult? Denotat non distantiam, seu ens aliquod non distare, sed prope alterum stare. Sed hac via non distare & praesentem esse sunt synonyma. Ἀδιαστασία ergo, & praesentia nulla alia ratione a se differunt, quam vt praesentia sit vox clara & nota, ἀδιαστασία vero vox obscura, & minus cognita. Accedit, quod hanc notionem simul conceptus eiusmodi extensi receptaculi ingrediatur, in quo res vna stant: qua idea nihil in hac doctrina ad fallendum est adcommodatius. Vides ergo has varias praesentiae explanationes, eiusdem dici non posse definitiones, nisi ita explicentur, vt cum nostra congruant.

§. VII.

Vti hi, quos adduxi, definitionum fabri, in eo peccarunt, vt synonyma pro definitionibus haberent, ita & illi a vero abludunt, qui *praesentiam rei actualem eius ex propriis notis agnitionem esse docent.* (d) Multa enim corpora sunt vna, quorum neutrum distinguit alterum, multo minus ab alio agnoscitur.

§. VIII.

Missis vero his tricis ac naeniis, in id iam inquiramus, num recentiorum quidam idem cum nobis de praesentia senserint. Num, quam suppeditaui-

 mus

(d) Vid. CHRIST. GABR. VISCHERVS in diss. *An Spiritus sint in loco p. 3. §. 8.*

mus praesentiae notionem, vsui & recepto terminorum inter Philosophos significatui conueniat? Id quod contendimus. Audiamus enim quid Celeb. REVSCHIVS hac de re proferat. Ita ille: *vbi agit quidquam, vel patitur, ibi est praesens.* (e) Patet ergo, ipsi praesentiam nihil aliud esse, quam actionem, aut passionem alicuius substantiae. In hac vero praesentiae notione omnes fere consentiunt. Ita enim S. R. CANZIVS, *praesentiam rei ad rem statum esse*, inquit, *cuius gratia res in rem aut agit; aut agere potest: res a re patitur, aut pati potest, vel immediate, sine interuentu vllius rei alterius, vel sine intercursu saltim plurium.* (f) Excell. item A. G. BAVMGARTEN praesentiam dicit *influxum propiorem:* Influxus vero ipsi nihil aliud est, quam actio substantiae in substantiam extra se. (g) Consentit cum hisce omnibus Vir Venerabilis D. I. E. SCHVBERTVS, Academiae nostrae insigne decus, cuius definitionem praesentiae nos secuti sumus. (h) Facillime poterit demonstrari, nostram de illa definitionem cum hisce omnibus congruere. Quod si enim substantiarum vna continet rationem immediatam existentiae alicuius adfectionis in altera, in illam agit: iam vero per definitionem nostram id fit, si substantiae praesentes sibi sunt: hinc nos quoque ad substantiarum praesentiam eamdem actionem & passionem immediatam requirimus.

§. IX.

(e) Systema. Metaphys. Cosmolog. c. III. §. 547.
(f) in Vsu Philosoph. LEIBNIT. & WOLFIANAE in Theolog. t. I. c. VII.
(g) Metaphys. P. I. c. II. Sect. VI. §. 223.
(h) Institution. Metaphys. P. IV. c. VI. §. 1080.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0020
DFG

§. IX.

Praesentia Dei est ea entis supremi ad res coexistentes relatio, vi cuius in illo ratio immediata datur plurium in illis obuiarum determinationum. Hinc nihil aliud est, quam actio entis supremi in res contingentes. Quae actio Dei in res omnes longe consummatissima est, nulla reactione creaturarum limitata, nulla passione impedita.

Obseruatio.

I. Noui theologos ἀδιαστασίαν, ab operatione discretam, praesentiae conceptui tribuere. Sed cum tamen omnes curate doceant, spatii conceptum a Dei praesentia arceri oportere: nescio, quomodo praeter operationes ἀδιαστασίαν siue non distantiam in spatio concipere queant. (i)

II. Sunt etiam, qui praesentiam Dei & eius operationes, vt diuersa considerant. Putant enim ad praesentiam requiri adessentiam essentiae Diuinae, qua in operationibus non opus sit. Ita enim vir laude omni maior, in caelicolis iam triumphans, b. QVENSTEDIVS quaestionem tum controuersam proponit: *An Deus vnitrinus per vnionem specialem & inhabitationem gratiosam in fidelibus non modo specialis operationis ratione, sed etiam quoad peculiarem ab vniuersali*

 prae-

(i) Vid. GERHARD. *Loc. Theolog.* Tom. I. Loc. II. c. XV. §. 119. TVRRETIN *Theol Elenchtic.* L. III. Qu. 9. §. 8. Ex Scholast. FONSEC. L. V. Metaph. c 15. quaest. 9. §. 4. SVAREZ Disp. 30. sect. 7. n. 14.

praesentia distinctum modum praesentiae adsit. (k) Sed contrarium probant MVSAEVS (l) & GERHARDVS, (m) quibus & nos veritatis pondere permoti calculum nostrum adiicimus: vt ex sequentibus adparebit.

§. X.

Vbi Deus operatur, siue secundum operationes suas praesens est, ibi etiam praesens est secundum suam essentiam. Operatio enim cum supponat vim §. IV. vbi Deus secundum operationes suas praesens est, ibi vis eius adsit necesse est. Iam vis eius refertur ad essentiam (per Theolog. nat.) hinc vbi Deus secundum operationes suas praesens est, ibi etiam adest secundum essentiam suam. Qui ergo praesentiam Dei in operationibus eius consistere dicunt, minime essentiae eius praesentiam negant.

§. XI.

Dantur varii praesentiae gradus. Cum enim limes intensionis dicatur *Gradus:* facile probari poterit varios praesentiae dari gradus. Praesentia ea est rerum sibi coexistentium relatio, secundum quam in vna aliquid continetur, cuius ratio immediata datur in altera. §. II. Operationes vero, tamquam rationata vis alicuius, admittunt gradus (per Ontolog.) hinc praesentiae quoque dantur diuersi gradus: quos vt clarius proponamus, operam dabimus.

§. XII.

(k) V. Syst. Theol. P. III. c. X. Sect. II. p. m. 900.
(l) *In der ausführlichen Erklärung* Loc. XII. Qu. 74. p. m. 442.
(m) Loc. cit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0022
DFG

§. XII.

Ponamus duas ſubſtantias A & B, in quarum vna A plura & maiora continentur quam in B, quorum ratio immediata obtinet in x, tunc x ſubſtantiae A magis erit praeſens quam ſubſtantiae B. Hinc quo plures, quo maiores, in quo pluribus & quo maioribus ſubſtantiis dantur determinationes, quarum ratio immediata eſt in alia ſubſtantia, eo maior huius ſubſtantiae praeſentia eſt. *Gradus ergo praeſentiae determinantur per multitudinem & magnitudinem operationum & multitudinem & magnitudinem ſubſtantiarum, in quibus illae producuntur.*

§. XIII.

Omnipraeſentia eſt ea entis cuiusdam ad res omnes coexiſtentes relatio, vi cuius in illis omnibus aliquid datur, cuius ratio immediata in eodem ente continetur. Seu eſt ea entis cuiusdam ad res omnes coexiſtentes relatio, ſecundum quam in omnes operatur.

§. XIV.

Praeſentia Dei admittit gradus. Cum enim omnis praeſentia illis gaudere poſſit, §. XII. nullum ſane dubium eſt, quin de Diuina idem valeat.

§. XV.

Gradus praeſentiae Diuinae determinantur per multitudinem & magnitudinem operationum eius. Cum enim omnis praeſentiae gradus operationibus eiusdem ſint determinandi §. XII. Diuina praeſentia autem

tem aeque consistat in operationibus eius §. IX. sequitur eius gradus per multitudinem & magnitudinem operationum eius determinari.

Observatio.

A partibus hic nostris stant Theologi consummatissimi, quorum nomina & verba nominasse sufficit. Ita MVSAEVS hac de re loquitur. *Es wird dieses ausser Zweifel gesezt, daß die Gegenwart Gottes nach seinem unendlichen Wesen in allen Kreaturen keine Otiosa praesentia, sondern stets mit Gottes kräftiger Wirkung verknüpfet sey, und nachdem die Wirkung des göttlichen, in allen Kreaturen gegenwärtigen, Wesens nach Unterscheid und ungleicher Beschaffenheit der Kreaturen ungleich ist, also werde auch die Gegenwart Gottes nach seinem Wesen in den erschaffenen Dingen nach ihrer ungleichen Wirkung unterschieden.* (n) Cui adsentitur incomparabilis GERHARDVS, dicens: *Observandum, omnes illos gradus praesentiae Dei non essentialiter, sed effectibus tantum discerni. Non enim alia Dei essentia in creaturis, alia in beatis hominibus & angelis, alia in renatis, nec diuina essentia ex parte creaturis, ex parte angelis, ex parte renatis praesens est, sed vna, eademque essentia tota & indiuisa. Deus vbique praesens: discrimen multiplicis praesentiae in sola effectuum diuersitate consistit, vt multiplex illa praesentia nihil aliud sit, quam varia vnius, eiusdemque naturae omnipraesentis operatio.* (o)

§. XVI.

(n) *v.* S. *ausführliche Erklärung* Loc. XII. Qu. 74. p. m. 442.

(o) v. Loc. Theolog. T. I. Loc. II. c. XV. §. 119. p. m. 71.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0024
DFG

§. XVI.

Deo competit omnipraesentia. Conseruatio est ratio sufficiens continuationis existentiae alicuius rei. Iam Deus omnia conseruat (per Theolog. natur.) hinc in omnibus rebus huius vniuersi existentibus aliquid continetur, cuius ratio immediata datur in coexistenti Deo. Haec vero coexistentia dicitur omnipraesentia §. XIII. *Hinc Deus est omnipraesens.*

§. XVII.

Deus est omnipraesens. Cum enim *concurrere* aliquis ad alterius actiones dicatur, qui existentiae illarum aliquam continet rationem: existentia actionis autem supponat vim (per Ontol.) huiusque existentiae continuatio a Deo dependeat §. XVI. sequitur Deum quoque ad omnes creaturarum actiones concurrere: idque cum immediate fieri debeat, hoc respectu etiam omnibus creaturis praesens est §. II. *hinc omnipraesens* §. XIII.

§. XVIII.

Quod si decretum Dei eius est voluntas consequens de rerum existentia: sequitur omnipraesentiam per decreta eius determinari. Cum enim per omnipraesentiam omnia conseruet §. XVI. & ad omnes omnium creaturarum actiones concurrat §. XVII. haec omnia autem, tamquam res existentes, a voluntate eius consequente dependeant, hinc decreta sint: inde facile adparet, omnipraesentiam eius itidem per decretum determinari: hinc Deus per decreta sua est omnipraesens.

§. XIX.

Omnipraesentia Dei pertinet ad opera eius. Per omnipraesentiam enim Deus in res creatas omnes operatur §. XIII. illas conseruando §. XVI. ad actiones illarum concurrendo §. XVII. haec omnia autem sunt ipsius opera: hinc omnipraesentia Dei recte ad eius opera refertur.

Obseruatio.

Non primi sumus, qui hanc thesin defendimus. Veritatis huius testes ante nos iam multos habemus, eosque locupletissimos. Sufficit citasse V. Ven. *D.* I. E. SCHVBERTVM, qui ita syllogizatur: *Omnipraesentia Dei est operatio in omnes creaturas. Etenim omnipraesens est per decreta, quae sunt ratio sufficiens immediata existentiae creaturarum. Iam vero existentia earum est mutatio, & ratio sufficiens mutationis actio. Ergo omnipraesentia Dei est eius operatio in omnes creaturas.* (p)

§. XX.

Omnipraesentia Dei non pertinet ad eius attributa. Sunt qui omnipraesentiam Dei ad eius attributa referunt, quorum maximus est numerus. Sed mihi rem non satis curate perpendisse videntur. Cum enim attributa eae dicantur entis adfectiones, quae rationem suam sufficientem habent in essentialibus: nescio, an omnipraesentia eius ad illa iure referri possit. Omnipraesentia enim supponit res creatas, in quas Deus agit. Iam si haec Dei adfectio in essentialibus eius rationem sufficientem haberet, sequeretur res crea-

(p) in Institut. Metaphys. p. V. c. VI. §. 1084.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0026
DFG

creatas itidem esse aeternas. Cum enim posita ratione sufficiente, ponatur id, cuius ratio est sufficiens: positis Dei essentialibus poni quoque deberet eius omnipraesentia. Iam in Deo essentialia sunt aeterna (per Theol. nat.) hinc omnipraesentia itidem foret aeterna. Posita vero hac aeterna: ponerentur quoque res creatae aeternae. Hinc mundus aeternus. Hoc vero implicat. Ergo omnipraesentia Dei non recte ad attributa eius refertur.

§. XXI.

Deus est immensus. Cum Deus sit omnipraesens §. XVI. XVII. habet etiam facultatem praesentiam ad omnes res habendi (per Ontol.) haec vero dicitur eius *immensitas.* Hinc Deus immensus est. Immensitas ergo Dei ab eius omnipraesentia non aliter differt, quam potentia ab actu.

Scholion.

I. Idem vere dixerunt, qui essentiam Diuinam, quae nullis locorum terminis mensurari aut includi potest, absolute spectatam, immensam, sed si relatiue consideretur, omnipraesentem esse statuerunt.

II. Obiiceres, in Deo nullam adesse facultatem meram seu possibilitatem; sed Deum esse merum actum. Concedimus hoc, si de determinationibus internis loqueris: negamus vero, si de externis tibi sermo est.

§. XXII.

Immensitas Dei pertinet ad attributa eius. Cum enim haec Dei potentia rationem suam sufficientem habeat in essentia Diuina (per Theolog. nat.) eae autem adfectiones, quae rationem sufficientem habent in essentia, attributa dicantur, §. XX. Immensitas Dei ad eius attributa iure refertur.

Corollarium.

Hinc Deus ab aeterno, & ante orbem conditum, immensus fuit, maneretque in aeternum, licet nullus existeret mundus. Omnipraesens vero ante mundum conditum dici non potuit, cessaretque esse omnipraesens, si haec rerum vniuersitas olim ad nihilum posset redigi. Sunt, qui hoc negant. Audiamus Theologum quemdam hunc in modum, sed falso, philosophantem. *Essentialem istam dixeris omnipraesentiam h. e. eiusmodi essentiam, quae ita comparata est, vt nihil dari possit, cui non sit praesens, etiamsi actu nihil existiterit. Omnipraesentiam habuit Deus, antequam mundus creatus est, cum nihil erat.* Sed haec reuera implicant. Cum enim quaelibet operatio supponat aliquid, in quo mutatio produci debet, s. obiectum, neque omnipraesentia sine obiecto potest cogitari. Obiectum vero omnipraesentiae cum sint res creatae in vniuersum, hae vero constituant mundum: sequitur, posita omnipraesentia deberi etiam poni mundum

existentem. Hinc omnipraesentia sine mundo existente implicat. Vnde recte dixeris: *ante mundum conditum s. cum nulla res adhuc creata esset, Deum non potuisse actu omnipraesentem vocari. Quam primum autem res creatae exstiterint, non potuit non, vi immensitatis suae, quae omnia in omnibus implet, iis intime praesens esse. Sunt verba Auctoris cuiusdam celebris.*

§. XXIII.

Varia quidem a Theologis plurimis ad omnipraesentiam, & immensitatem Dei requiruntur, quae, nostra quidem sententia, commodius ad alia eius attributa possent referri. Age ergo, indicemus, qua ratione id fieri possit. Ad omnipraesentiam requirunt 1) *illocalitatem Dei*, sive eam illius adfectionem, vi cuius neque in illo spatium est, neque ille spatio includitur. Sed haec melius ad simplicitatem Dei referas. Cum enim Deus sit ens simplex, hinc neque partes extra partes habeat: nullum quoque in eo spatium cogitari potest, quod est ordo simultaneorum extra se inuicem positorum. Hinc nec spatium replet, ita vt extensa replere dicuntur, in quibus spatium est. Itidem neque spatio includitur, ita vt seriem simultaneorum extra se positorum conficiat. Quod si vero alio significatu haec vocabula sumuntur, dici potest, Deum per omnipraesentiam & omnipotentiam omnia, hinc & omne spatium replere, dum omne spatium, & quicquid in eodem est, immediate actuauit, & quouis momento mutat.

Obſeruatio.

Nemo mirabitur, nos illocalitatem Dei eius dixiſſe adfectionem. Non enim hanc vocem eo ſumimus ſignificatu, vt idem ſit ac accidens, ſiue modus, ſed quidquid enti competere poteſt, illius dicitur adfectio.

§. XXIV.

2.) Requirunt ad omnipraeſentiam & immenſitatem *abſentiam omnis magnitudinis propriae & ſtricte ſumtae.* Cum enim magnitudo haec ſit multitudo partium extra ſe inuicem poſitarum, in Deo vero propter ſimplicitatem nullae partes proprie ſic dictae locum habent: ſequitur, neque magnitudinem in eo poſſe cogitari. Sed facile adparet, hanc Dei adfectionem melius ad ipſius ſpiritualitatem ſ. ſimplicitatem referri. 3.) Huc referunt *Dei immenſibilitatem* ſ. incomparabilitatem, quam in eo ponunt, vt Deus menſurari aut comparari nequeat. Quae adfectio partim ex eius vnicitate, partim ex eius infinita perfectione cognoſci poteſt. Cum enim menſurare nihil aliud ſit, quam cognoſcere, quoties vna magnitudo homogenea in altera contineatur: ad menſurabilitatem requiritur. 1.) Vt adſit magnitudo homogenea 2.) vt determinetur, quoties vna in altera contineatur: neutrum vero in Deo locum habet. Non enim admittit magnitudinem homogeneam, quia eſt vnicus: neque determinationem talem, quia eſt infinitus & illimitatus: hinc nec menſurari poteſt.

§. XXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0030
DFG

§. XXV.

4.) Ad immenſitatem & omnipraeſentiam Dei requirunt *immobilitatem Dei* ſ. abſentiam omnis motus in Deo. Cum enim motus ſit continua loci permutatio (per Ontolog.) Deus autem per omnipraeſentiam omnibus rebus coexiſtat §. XIII. locum mutare nequit: hinc iure immobilis dicitur. Hinc non poteſt dici, locum reliquiſſe, aut ad locum veniſſe, ſi de illius coexiſtentia tantum ſermo eſt: quod tamen alio ſignificatu recte dicitur, vti infra docebitur. 5.) Huc referri ſolet *inſenſibilitas* Dei ſ. Deus inſenſibiliter omnipraeſens eſſe dicitur, i. e. ita vt ſenſus noſtros non incurrat. De ſenſibus externis hoc loco ſermonem eſſe, facile patet. Quidquid vero ſenſus noſtros incurrit, illud debet ens eſſe compoſitum: cum vero Deus ſit ens ſimplex, ſenſibus illum percipere nequimus. Hinc inſenſibiliter praeſens eſt. Patet ergo, hanc Dei inſenſibilitatem potius ad eius ſimplicitatem eſſe referendam.

§. XXVI.

Deus omnipraeſens ſecundum ſuas operationes, omnipraeſens quoque eſt ſecundum ſuam eſſentiam. Vbi enim Deus praeſens eſt ſecundum ſuas operationes, ibi etiam praeſens eſt ſecundum ſuam eſſentiam §. X. Iam per omnipraeſentiam in omnes res creatas operatur ſ. ſecundum ſuas operationes omnibus creaturis praeſens eſt §. XIII. hinc etiam omnibus creaturis praeſens eſt ſecundum ſuam eſſentiam: atque adeo Deus omnipraeſens ſecundum ſuas operationes, omnipraeſens quoque eſt ſecundum ſuam eſſentiam.

Schol.

Scholion.

I. Fuerunt Gentilium quidam, qui hanc diuinae Essentiae omnipraesentiam negarunt, ab aliis refutati. Sed ex illorum de Deo conceptu aliter fieri non poterat. *Epicurus* docuit, mundum ex multis constare orbibus, inter quos vacua essent spatia, quae intermundia dixit. Haec Deorum esse domicilium putauit, ac delicias. De *Stoicis Tertullianus* narrat, illos Deum figulo similem statuisse, extra mundum sedenti, illumque, vt testas, torquenti. *Philo*, notus ille Iudaeus, in libro suo de Mundo, omnipraesentia essentiae Diuinae negata, Deum in caelo solum morari statuit. *Arminiani* aeque ac *Sociniani* itidem omnipraesentiam Essentiae Diuinae negant. Nec defuerunt Patrum quidam, qui idem fecerunt. Ita enim CLEMENS ALEXANDRINVS: Πόῤῥω μὲν κατ' ὐσίαν, ἐγγυτάτω δὲ δυνάμει, ᾗ τὰ πάντα ἐγκεκόλπισαι: secundum essentiam longinque abest, sed proxime secundum operationem, vi cuius omnia in sinu fouet. (q)

II. Alii tamen hanc essentiae omnipraesentiam contenderunt. Ita enim *Clemens Alexandrinus* versus quosdam *Orphei*, vel vt alii putant *Onomacriti* citat, in quibus illa expresse adfirmatur:

Αὐτὸς γὰρ χάλκειον ἐς ὠρανὸν ἐστήριχται
χρυσέῳ ἐνὶ, γαίῃ δὲ ἐπὶ πόσσι βέβηκε
χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματα ὠκεανοῖο
πάντοθεν ἐκτέτακεν. Περὶ γὰρ τρέμει ὄρεα μακρὰ
καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάθος χαροποῖο θαλάσσης.

Ille

(q) Libr. II. Strom. f. 269.

Ille ſedet in aeneo caelo aurea ſella, pedibus vero terrae innititur, dextram ſuper oceanum vndique expandit. Circum tremunt montes, & fluuii, & profunditas caerulei maris. (r)

Poëta *Aratus*, cuius Diuus *Paulus* facit mentionem, idem luculenter, probat. Poſtquam enim, a Ioue principium faciendum, dixerat, ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα, addit

πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες
τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. (s)

III. Inter Theologos noſtrates itidem olim diſputatum eſt: an Deus omnipraeſens ſit ſecundum ſuam eſſentiam, aut ſecundum operationes ſaltim? Ab vtraque parte ſteterunt Patroni. Nos vero omnem hanc diſputationem inutilem ac ſuperfluam iudicamus. Probauimus enim, Deum ſecundum eſſentiam ſuam omnipraeſentem aeque ac ſecundum operationes ſuas. §. XXVI.

§. XXVII.

Si in eo iam verſaremur, vt omnipraeſentiae Divinae fuſiorem vellemus proponere tractationem, omnino opus foret, vt illam ex ſacris litteris euinceremus. Sed cum illa nobis non ſit mens, ſufficiat, quaedam ſaltim nominaſſe loca, quae doctrinae huius fidem indubiam faciunt. Pſ. CXLV, 3. CXLVII, 5. Job. XI, 7. 8. XL, 18. Ier. XXIII, 24. Pſ. CXXXIX, 1-10. Act. XVII, 27. 28. Ioan. IV, 20. 21.

(r) Libr. I. contra Iulianum f. 26. (s) Act. XVII, 28.

SECTIO II.

DE APPROXIMATIONE DEI AD CREATVRAS OMNIPRAESENTIAM EIVS NON TOLLENTE.

§. XXVIII.

Quae praecedenti sectione de omnipraesentia Dei dicta sunt, sufficere nobis videntur, vt, quae ad hanc alteram sectionem pertinent, inde deriuare possimus. Progredimur ergo ad huius sectionis argumentum, quod in eo consistit, *vt probemus Dei ad creaturas approximationem omnipraesentiam eius non tollere.*

§. XXIX.

Vt vero in hac propositione demonstranda rite omnia procedant, in duas omnem hanc disquisitionem dispescere iterum liceat partes: quarum prima de approximatione Dei ad creaturas aget; altera vero ipsam theseos probationem exhibebit. Hac ratione omnia rite persequi poterimus, quae huc faciunt.

§. XXX.

Substantia substantiae *approximat s. propior fit*, si plures, maioresque in ea producit operationes: *recedit* vero substantia, si pauciores, minoresque producit operationes, siue si intensiori quodam gradu operari desinit.

Obser-

Obseruatio.

Ita e. g. dici potest, Deum fidelibus eodem tempore approximare, & ab illis recedere. Approximat illis gratia sua, si per illam quasdam in illis producit operationes: recedit ab illis ira sua, si illius operationes tollit.

§. XXXI.

Ex definitione §. XXX. suppeditata patet ad approximationem aeque ac recessionem, siue elonginquationem non opus esse permutatione loci. Solet plerumque hic conceptus approximationi, & recessioni adhaerere, vt ens alteri approximare dicamus, quod ratione loci, quem occupauit, propius accedit, vti illud recedere, quod mutatione quadam loci longius abit. Sed hic conceptus adhaerens a corporum approximatione ac recessione ortum traxit. Haec enim tunc approximare dicuntur, si quoad locum propius accedunt: recedere vero, si locum alteri propiorem mutant. Non opus vero est hoc conceptu adhaerente in approximationis, & recessionis definitionibus.

§. XXXII.

Approximatio Dei ad creaturas est eius intensior siue maior in illas operatio: *eius* vero *a creaturis recessio* consistit in intensiorum harum in creaturas operationum omissione. Quo ergo plures, quo maiores operationes in illis producit, eo maior est approximatio, siue eo magis adpropinquat: quo pauciores, quo minores vero operatur, eo maior est recessio siue eo magis recedit.

§. XXXIII.

Approximatio Dei non consistit in mutatione loci.

Pone enim contradictorie oppositum verum esse, Deus approximans veniret ad locum, vbi antea non fuisset. Iam vero Deus omnipraesens est §. XVI. XVII. hinc omnibus locis adest. §. XIII. ergo approximatio Dei non consistit in mutatione loci.

Scholion.

I. Pone etiam, Deum approximare duabus creaturis remotissime, quoad locum, a se inuicem distantibus: tunc Deus illis simul, quoad locum, praesens esset, & non praesens. Quod si enim vni illarum approximat, locum occupat, quem antea non habuit. Hinc locum quemdam relinquit. Cum vero simul alteri approximet, priorem locum iterum relinquit. Hinc ab illa recedit. Simul ergo approximaret, & recederet ab illa: quod inuoluit. Approximatio ergo non consistit in mutatione loci.

II. Idem de recessione Dei a creaturis facili poterit probari negotio ex iisdem rationibus.

§. XXXIV.

Olim iam inter Theologos de approximatione Dei controuersum est. Non enim inter illos conuenit, vtrum approximatio tantum ad operationes Dei se extendat, an simul essentiae approximationem inuoluat. Omnis haec controuersia inde originem suam traxit, quod ad approximationem loci permutationem necessariam esse duxerunt. Qui ergo essen-

sentiam Diuinam omnipraesentem statuerunt, sibi persuaderi non passi sunt, illam substantiae cuidam approximare posse. Ex horum numero Celeberrimus ille Ienensium Theologus fuit, IOAN. MVSAEVS, qui approximationem Dei negauit. (t) Contra Wittebergensis ille consummatissimus Theologus, IOAN. ANDR. QVENSTEDIVS magna virium contentione approximationem essentiae Diuinae adfirmat, illos aduersariis adnumerans, qui contrariam sententiam fouere ausi forent. (u) Magnam Theologorum citat multitudinem, qui secum senserint: *Lutherum*, *Chemnitium*, *Gerhardum*, *Feuerbornium*, *Balduinum*, *Brochmannum*, *Osiandrum*, *Sorgmannum*, *Hunnium*, *Dorscheum*, *Hulsemanuum*, *& Calouium*.

§. XXXV.

Approximatio Dei quoad operationes, est etiam approximatio essentiae Diuinae. Mirandum sane tanti ingenii, tantaeque doctrinae viros de re certasse, quae nostra quidem sententia facile resolui potest. Contendimus enim, approximationem Dei, quoad operationes, simul esse approximationem essentiae Diuinae. Cum enim, vbi Deus operatur s. secundum operationes suas praesens est, ibi etiam praesens sit secundum suam essentiam §. X. sequitur illum in approximatione intensiori gradu operationum praesentem, essentia quoque praesentem esse debere. Hinc quicumque approximationem Dei ad creaturas, in intensioribus eius in illis operationibus consistere adfirmat, neutiquam essentiae diuinae approximatio-

(t) in Disp. de Renou. §. 25. 26. hab. a. 1649.
(u) Syst. Theol. P. III. c. X. Sect. II. p. 900.

nem negat: licet loci mutationem ad illam minime neceſſariam iudicet.

§. XXXVI.

Sed pergamus iam ad ipſius theſeos noſtrae probationem, *approximationem Dei ad creaturas eius omnipraeſentiam non tollere.* Tollere propoſitio propoſitionem dicitur, quae idem adfirmat, quod altera negat ſ. v. v. Hinc propoſitiones contradictoriae ſe inuicem tollunt. Quarum ergo vna non idem vel adfirmat, vel negat, quod altera vel negat, vel adfirmat: illae non ſunt contradictoriae; hinc neque ſe inuicem tollunt.

§. XXXVII.

Approximatio Dei ad creaturas eiusdem omnipraeſentiam non tollit. Omnipraeſentia Dei eſt eius ad omnes res coexiſtentes relatio, vi cuius in omnes operatur §. XIII. hae operationes ſunt vel maiores vel non maiores §. XIV. intenſior in creaturas operatio dicitur approximatio Dei ad creaturas §. XXXII. hinc per omnipraeſentiam nihil adfirmatur aut negatur, quod per Dei ad creaturas approximationem negetur vel adfirmetur; hinc neque haec ſe inuicem tollunt. §. XXXVI.

§. XXXVIII.

Dei a creaturis receſſio eius omnipraeſentiam non tollit. Recedit Deus a creaturis, ſi intenſiores in illas operationes omittit. §. XXXII. hinc non omnes in illis operationes relinquit. §. XIV. poteſt ergo illis omnipraeſens eſſe §. XIII. hinc receſſio Dei a creaturis eius omnipraeſentiam non tollit.

§. XXXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0038
DFG

§. XXXIX.

Omnipraesentia Dei non tollit approximationem eius ad creaturas. Quod si enim approximatio Dei non tollit omnipraesentiam §. XXXVII. non sunt contradictoria §. XXXVI. hinc posito vel sublato vno non tollendum aut ponendum alterum.

§. XL.

Approximatio Dei non tollit omnipraesentiam essentiae Diuinae. Ad approximationem Dei requiritur approximatio essentiae Diuinae §. XXXV. haec vero omnipraesens est §. XXVI. iam omnipraesentia non tollit approximationem §. XXXIX. hinc neque omnipraesentia essentiae Diuinae tollit eius approximationem: hinc neque sunt contradictoria §. XXXVI. ergo adproximatio Dei non tollit essentiae Diuinae omnipraesentiam.

§. XL.

Approximatio & recessio Dei non sunt contradictorie oppositа. Contradictorie oppositа sunt, quorum vnum alterum excludit, & praeterea nihil ponit s. quae excludunt medium. (per Ontol.) Iam approximatio & recessio Dei non excludunt medium §. XXXII. omnipraesentiam Dei non tollentes §. XXXVII. XXXVIII. hinc neque sunt contradictorie sibi oppositae.

§. XLII.

Approximatio Dei & recessio sunt contrarie sibi oppositа. Cum enim vnum excludat alterum §. XXXII. & tamen medium admittunt §. XLI. talia vero contrarie sibi oppositа dicuntur (per Ontolog.) approximatio Dei & recessio sunt contrarie sibi oppositа.

§. XLIII.

§. XLIII.

Approximatio Dei ad creaturas ſecundum Theologiam naturalem poſſibilis eſt. Cum enim habeat poſſibilitatem tam internam §. XXXII. XIV. quam externam §. XXXVII. ſequ. haec autem poſſibilitas ex ſolis rationis principiis demonſtrata ſit: omnino debet contendi, illam ſecundum Theologiam naturalem poſſibilem eſſe.

§. XLIV.

Approximatio Dei ad creaturas fit per miraculum. Miraculum dicitur euentus ſupernaturalis (per Cosmolog.) ſupernaturale vero, quod rationem exiſtentiae ſuae ſufficientem non habet in rebus, ad mundum pertinentibus. (per eamdem) Iam approximatio Dei producit operationes, quae rationem ſuam immediatam habent in Deo §. XXXII. ergo fit per miraculum.

Scholion.

Cum miracula in hoc mundo ſint poſſibilia (per Cosmol.) nouum inde oritur argumentum, ex quo poſſibilitas approximationis Dei poteſt demonſtrari §. XLIII.

§. XLV.

Approximationis Dei ad creaturas exiſtentia, nonniſi conditionate, ex ratione probari poteſt. Cum enim illa ſit miraculum §. XLIV. horum vero exiſtentia in hoc mundo, non niſi conditionate, poſſit probari; poſito ſcilicet, quod idem euentus, in hoc mundo neceſſarius, non per vires naturae produci potuerit (per Cosmol.) ſequitur approximationem Dei, nonniſi condi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0040
DFG

ditionate, ex ratione posse probari: posito scilicet, quod creatura operationes requirat maiores, quarum ratio immediata datur in Deo.

§. XLVI.

Theologia naturalis existentiam approximationis Dei ad creaturas, non nisi conditionate demonstrare potest. Cum enim Theologia naturalis sit cognitio Dei ex ratione, ratio vero determinare non potest, cui vires naturae sufficiant, nec ne, aut quando operationes maiores immediatae a Deo requirantur, cum mundi huius vniuersi nexum tam plene non possit cognoscere: sequitur, illam existentiam approximationis Dei, non nisi sub hac hypothesi, demonstrare posse, si vires naturae non sufficiant euentui, in hoc mundo necessario. §. XLV.

§. XLVII.

Theologia reuelata docet approximationem Dei ad homines. Cum enim ex illa constet, homines cum Deo in gratiam redituros meritum Christi fide debere apprehendere; fides vero requirat peculiarem Dei in hominibus operationem; haec autem approximationem Dei constituat: sequitur, illam in Theologia reuelata doceri.

§. XLVIII.

Deus approximat homini conuertendo. In Theologia reuelata docetur, hominem conuerti gratia praeueniente, praeparante, & operante: hae vero operationum diuinarum in hominibus species, sunt maiores s. intensiores Dei in illis operationes: hinc constituunt appro-

ximationem Dei ad homines §. XXXII. Quod si ergo Deus gratia sua praeueniente in hominibus operatur, illis approximat: si praeparante, illis propior fit, & operante cum hominibus vnitur.

§. XLIX.

Deus approximat homini renouando. Gratia Spiritus S. cooperans est operatio eius in hominibus regenitis, qua illorum vires ad bona opera exsequenda conseruat, confirmat & auget. Haec cum peculiaris sit Dei operatio, constituit Dei approximationem ad homines. Hinc Deus non solum in hominis conuersione illi approximat §. XLVII. XLVIII. sed & in eius renouatione.

§. L.

Conuersio hominis secundum Theologiam reuelatam est vel *ordinaria* vel *extraordinaria:* illa producitur in initio, progressu & fine suo per verbum Dei, eiusque vim supernaturalem: haec vero immediata Spiritus S. in homine conuertendo operatione.

§. LI.

In Philosophia omnes euentus sunt vel naturales vel supernaturales s. miracula §. XLIV. sed in Theologia reuelata paulo aliter res se habet. Effectus enim ibi vel est naturalis, qui causam efficientem habet in mundo, vel spiritualis, qui causam efficientem quidem habet Deum, per certum quoddam tamen medium operantem, vel supernaturalis, qui per vim Diuinam immediate producitur.

§. LII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0042
DFG

§. LII.

Approximatio Dei ad homines in conuerſione ordinaria eſt ſecundum Theologiam reuelatam operatio ſpiritualis. Quando enim Deus hominem conuertit, illi, fidem atque vires vitae ſpiritualis ſuppeditans, approximat §. XLVII. XLVIII. XLIX. hae vero operationes omnes in conuerſione ordinaria ſunt ſpirituales, cum per verbum Dei, eiusque vim ſupernaturalem producantur §. L. hinc in conuerſione hominis ordinaria approximatio Dei eſt operatio ſpiritualis.

§. LIII.

Approximatio Dei ad homines in conuerſione illorum extraordinaria eſt operatio ſupernaturalis ſ. miraculoſa. Cum enim conuerſio extraordinaria fiat per immediatam Spiritus S. operationem §. L. approximatio Dei in illa fit operationibus eius immediatis §. XLVI. XLVII. XLVIII. hae vero dicuntur ſupernaturales ſ. miraculoſae §. LI. hinc approximatio Dei talis eſt operatio ſupernaturalis ſ. miraculoſa.

§. LIV.

Approximatio Dei ad homines in conuerſione admittit gradus. Cum enim in vno homine conuertendo plures operationes requirantur, quam in altero (per Theolog. reuel.) multitudine vero & magnitudine operationum gradus approximationis determinentur §. XXXII. ſequitur, approximationem Dei ad homines in conuerſione varios admittere gradus.

§. LV.

Vidimus huc vsque, ex Theologiae reuelatae rationibus, approximationem Dei ad homines ſufficien-

ter demonstrari posse. Idem vero quoque ex Scripturae sacrae locis manifestis fieri potest. Nostrum vero non est, vt haec loca interpretatione longiore explicemus. Sufficit ergo illa saltim citasse. Princeps locus offenditur Ioan. XIV. 23. quem integrum hic legisse non poenitebit. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. *Cui Iesus: si quis me amat, inquit respondens, is sermoni meo parebit, eumque meus pater amabit & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.* Alter exstat Jac. IV, 8. Ἐγγίσατε τῷ Θεῷ καὶ ἐγγιεῖ ὑμῖν. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Huc referri possunt Deut. IV, 7. Ps. XXXIV, 19. CXIX, 151. CXLV, 18. Jes. LV, 6. Jer. XXIII, 23.

§. LVI.

Sunt haec pauca illa, & tumultuaria, quae hoc loco disputare pro temporis angustiis potui. Nihil amplius addam, quam votum ardentissimum, vt quam hoc scripto defendimus, Dei ad creaturas, & homines in specie, approximationem in salutem nostram aeternam nos quoque placidi experiamur. Quod si factum fuerit, beatissimus, exoptatissimusque erit vitae nostrae bene hic gestae felicissimus.

FINIS.

(o)

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

AVGVSTO GVILIELMO HASSELIO

GVELPHERBYTANO

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPHIAE STVDIOSO

RESPONDENTI ATQVE AMICO SVO

HONORATISSIMO

S. D. P.

PRAESES.

Primus fuisti, dilectissime HASSELI, *quem inter iuuentutis nostrae Academicae coronam cognoscere mihi contigit. Ex quo enim Summe reuerendo Patri* TVO, *Fautori meo summa pietate aeternum colendo, coram innotui, postquam* Serenissimus Patriae Pater *me ad hanc, quam nunc gero, spartam clementissime vocauerat, factum est, vt singulari meae curae, diligentiae, atque amori fueris demandatus. Sciui sane cum ignarissimis, quo modo pro praesentis temporis ratione officio meo magis satisfacere possem, quam si* TIBI *Respondentis munia amice offerrem. Feci igitur, quae debui, quaeque pietas erga Venerabilem* TVVM *Patrem flagitauit. Neque* TE *inuito id factum esse laetor. Paratissimum potius* TE *praebuisti, precibusque meis lubentissime adnuisti. Gratulor ergo &* TIBI *& mihi.* TIBI *de subnata industriam atque eruditionem aliis testandi occasione, mihi de Respondente suauissimo. Age ergo, scande cathedram, descende in arenam, quae* TIBI *laudem ac famam certissime pollicetur. In eruditorum* TE, *Vir iuuenis Nobilissime, palaestram educam ac comitabor,* TVAE*que doctrinae testis ero. Faxit Deus t. o. m. vt et in posterum vires* TIBI *numquam desint, in litterarum studia ita incumbendi, vt carissimae patriae, orbi litterato, Parentibusque* TVIS, *a me numquam satis colendis, deuenerandisque, emolumento sis atque ornamento. Laetabor sane, quoties iucundissima tunc subibit amicitiae* TVAE *suauissimae animum meum memoria. Interim res* TVAS *semper age feliciter, meque vt facis, amare perge. Vale. Dedi in Iulia Carolina d. XIII. Cal. Sextil. anni cIↃ IↃ cc XLVIII.*

PRAENOBILISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
S. D. P.
GEORGIVS SAMVEL MADIHN
GVELPHERBYTANVS
IVRIVM STVDIOSVS ET OPPONENS.

Ex numero opponentium non solum, sed quoque amicorum TVORVM, *Praenobilissime atque praestantissime* HASSEL, *Amicorum optime! vnus quem singulari hactenus beneuolentia atque haud infucato complexus es amore, congratulans accedit, cum crastino die in defendenda dissertatione, eruditionis* TVAE *specimen sis editurus. Quam solidam dissertationem! Quam praeclarum omnique perscrutatione dignissimum defendis argumentum! Quantum discedis a vulgari eorum opinione, qui litterarum studia primis tantum labris gustant, quique illos iam eruditis adnumerant, in quibus tantum levem linguae aut scientiae alicuius cognitionem reperiunt. Sed* TV, *Respondens eruditissime! veram potius solidam atque vivam cognitionem non solum rebus ipsis conuenire, sed & animum plenissime de re cognita conuincere, atque ad vsum illius excitare debere per exemplum* TVVM *publice demonstrabis. Et quamuis*

uis dissertatio TVA *perscrutatione non indigeat, maxime tamen laetor, quod mihi beneuolentia* TVA *spartam opponentis tam beneuole obtulerit. Interea cum dissertatio illa adeo firmissimis est demonstrata rationibus, vt fere nihil inueniam, cui contradicere possim, me magis testem eruditionis* TVAE *haud mediocris, quam dissentientem habebis. Ascende itaque sub vmbone Praecellentissimi aeque ac Doctissimi Dn.* TVI PRAESIDIS *Cathedram & cura, vt appareat quantus sis in disputandi acumine. Quam ob rem ne defatigare in illo glorioso tramite, quem ingressus es progredi; vtere porro, vt facis, vigentibus ingenii* TVI *viribus, vtere occasione, vtere denique eruditione mirifica Luminum Almae huius Iuliae Carolinae. Quo facto* TIBI *ad capessendos honores aditum aperies, & ad felicitatis peruenies fastigium. Caeterum Vale, res* TVAS *omnes feliciter age, meque porro amore* TVO *amplectere. Dab. in Iulia Carolina d. XXVI. Iulii A. R. S. MDCCXLVIII.*

Vix dum Musarum nostrarum templa saluto,
Solertis specimen dat TVA musa mihi.
HASSELI scandis cathedram, quam laude relinques:
Gratulor ergo TIBI, *dulcis Amice*, breuis.

Helmstad. d. XXVI. Iulii
cIↃ IↃ CCXLVIII.

Amicitiae ergo scripsit

FRID. ALB. CHRISTIANVS DE LEHENNER
S. R. I. Equ. Buckeburg.
L. L. C.

So

So kömst Du mir zuvor im streiten /
Freund, den mein Wunsch sich schon von weiten
Zu seinem Freunde ausersehn.
Ich sehe Dich in vollen Waffen /
Die Dir den schönsten Ruhm verschaffen /
Den Feinden unter Augen gehn.
Drum streite nur beherzt der Wahrheit zum Vergnügen:
Dein Muster macht mir Mut / auch so / wie Du / zu siegen.

Helmstedt den 26. Heumonats
1748.

Hiermit empfielet sich dem Herrn
Respondenten

Georg Phil. Franz Moriz von Lehenner
S. R. I. Eques, L.L.C.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0048
DFG

Index.

1.) Christ. Gottfr. Hase (S.P. I.F. Stiebritzii) Primi ductus Systematis Philosophiae generalissimae.
2.) Petr. Forsskälii Dubia de Principiis Philosophiae recentioris.
3.) Christ. Aug. Crusius de Usu & Limitibus Principii Rationis Determinantis, vulgo Sufficientis.
4.) Georg. Bernh. Bilfingeri Articuli generales de Axiomatis Philosophicis.
5.) Io. Christoph. Deckeri (S.P. A.G. Baumgarten) Exercitia demonstrandi in nonnullis Syllogismi affectionibus.
6.) Ahasv. Ioh. Biel de Vera & nimia Simplicitate Elementorum.
7.) Christ. Henr. Hase de Anima humana non medii generis inter simplicem & compositam substantia.
8.) Godofr. Ploucquet de Materialismo.
9.) Ehregott. Nic. Bagge de Vero inter Sensationem & Cogitationem discrimine.
10.) Io. Guil. Schaubert de Idearum in Anima Conservatione.
11.) Io. Rud. Ant. Piderit de Quibusdam Regulis Intellectus.
12.) Io. Nolten (S.P. I.R.A. Piderit) de Abstractionis mentalis Constitutione & Usu.
13.) Dan. Bergmarck (S.P. P. Ahlwardt) de Experientia vitiisq circa eam generalioribus.
14.) Io. Gottl. Zornius (S.P. I.P. Reuschii) de Imperio Voluntatis in Intellectum &c.
15.) Godofr. Ploucquet de Natura Affectuum.
16.) Georg. Bernh. Bilfinger de Praecipuis quibusdam discendi Regulis ex comparatione corporis & animi erutis.
17.) Christoph. Zach. Habdanck Skubowius de Pugna analogorum modorum cum unicitate determinabilitatis in Deo.
18.) Io. Christoph. Dommerich de Approximatione Dei ad creaturas omnipraesentiam ejus non tollente.
19.) Io. Frid. Weitenkampff (S.P. G.G. Keuffelii) de Fato Turcico.
20.) Nic. Barkey de Admirabili Operum Divinorum Harmonia.
21.) Io. Dan. Titius de Necessaria Investigatione finium Divinorum circa res naturales.
22.) Io. Georg. Pfotenhauer de Eo quod in Vita piorum longa & brevi beneficium Divinum est.
23.) Ioh. Gottl. Iachmannus de Genuino charactere Legum Divinarum positivarum universalium.
24.) Georg. Frid. Merzdorf (S.P. G.F. Meieri) Demonstratio: Poenas Divinas bonitati Dei non esse contrarias.
25.) Otto Iustus Basil. Hesse (Praes. Eod.) de Voluptate cum Religione conjuncta.
26.) Gregor. Langemack de Obligatione hominis ad Religionem ex voluptate quaerendâ.
27.) Arndius Grimberg de Obligatione hominum ad quaerendam Revelationem.
28.) Io. Frid. Hagen de Felicitate.
29.) Frid. Iust. Tenzel (S.P. G.S. Nicolai) de Submissione mentis, vulgo Humilitate.
30.) Io. Gottl. Segerus de Aequitate Naturali.
31.) Io. Iac. Plitt (S.P. I.C. Spangenbergii) de Eo quod Iuris Naturae est circa gradus prohibitos & eorumdem dispensationem.
32.) Iust. Laur. Wagner (S.P. I.A. Hartmanni) de Officiis erga Peregrinos.
33.) Ioh. Adolph. Hartmann de Officio Eorum, qui cum Adversariis veritatem communicare volunt.
34.) Ioach. Oporini Apologia pro Usu doctae Simplicitatis contra Scepticos adversus Corporium.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0049
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0056
DFG

§. 47.

Mediator existere potest §. 44, & existere speratur §. 46 sed, an Deus voluerit eum existere & quibus omnibus conditionibus sit Mediator, si existit, ignorat ratio (per exper.)

§. 48.

Actus, quo Deus hominibus voluntatem suam de Mediatore hominum significat dicitur *Revelatio.*

Schol. Sumimus hic revelationem objective pro rebus ipsis, quæ significantur a Deo.

§. 49.

Deus est autor hujus mundi §. 10, ergo hominis §. 7. Sch. ergo ipsius rationis humanæ. Deus autor revelationis, si quæ existit §. 48, ergo ratio & revelatio consentient §. 13. 14. 11, ergo, cum ratio doceat Mediatorem subire pœnas peccati §. 45. revelatio idem docebit; sed ex hoc unice non evincitur existentia veræ revelationis §. 47; ideo accedat id unde convincamur de origine Divina §. 48, h. e. Confirmanda erit eventu quodam supernaturali siue miraculo, omnis ut formido falsitatis exulet & ut vera sit revelatio.

§. 50.

Si existit Mediator vult Deus homines pœnis liberatum iri §. 45, hoc, si illis in hac vita proderit, cognoscant §. 43, ergo sub hac conditione necessaria est revelatio §. 48, ergo, cum probabile sit Mediatorem existere §: 46, & saltem existere possit §. 44, idem valet de illa.

Schol. Ex historiis constat, semper inter homines jactatas fuisse revelationes.

§. 51.

28. 29. 30. 32. 34.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879394277/phys_0057
DFG